



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

17. Dies Aprilis. Detractor, & libens auditor, uterque diabolum portrat in lingua. Sanctus Bernardus in serm.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

17. DIES APRILIS.

Detractor, & libens auditor , uterque
diabolum portat in lingua. *Sanctus Ber-*
nardus in serm.

Detractio. I.

Gnaviter, & graviter D. Ber-
nardus detraxit Detractori,
dū illius in lingua dixit sessi-
tare diabolum. Sed gravius il-
li detrahām , dum non modò ostendam; sed convin-
cam esse in corpore humano diabolum. Per detra-
ctionem infertur alienæ famæ injuria exteriùs verbis:
quæ facillimè fit. Quia teste S. Augustino (a) non lin-
gu fruſtra in udo eſt, niſi quia facile labitur. Dæmoni
verò quam ſimillimus eſt ob genium illi non diſsimi-
lem. Dæmon, (b) tanquam leo rugiens circuit, querens
quem devoret. Omnia circumveunt, & perlustrant, et-
iam luſtra, & fornices dæmones, ut nocendi, perden-
dique anſas inveniant. Nullus venator circumit dili-
gentiūs , ut feram rapiat; nullus urbis alicujus obſe-
ſor, ut urbem obtineat: nullus Zelotypus, ut rivalum,
& competitorum aliquem in delicto flagrantē de-
prehendat, circumcurſandi ſtudioſior. (c) Ita in cir-
citu: mpii Detractores ambulant; gyros mille faciunt
uno die, & in orbem eunt, redeuntq; centies una ferè
hora, ut rumiſculum audiant , ut aliquid deprehen-
dant, ut vel umbram videant.

II. Dein

(a) In Ps.38. (b) I. Petr. 5. (c) Psal. 11.

ilis.

Aprilis.

Tessera.

291

II. Dein totam urbem pererrant, in plateis, vicis, compitis, foribus, portis, omnia de omnibus percunctorando; per omnium domus circumcursant; transseunt de domo in domum; de Curia in Curiam, de asceterio in asceterium, & noctu, interdiu totis ædibus, quid musitando, omnes angulos perlustrant, omnia evertunt, & rimantur; in omnia, & in omnes, & ex omnibus inquirunt, ac sciscitantur, & tantum non questionibus, & equuleis utuntur, ut nihil alienæ infirmitatis ipsis incognitum sit, non ut medeantur, sed ut opportunè in commodum suum, aliorum verò incommodum abutantur, & ruinis aliorum erigantur: scarabæorum instar, nunc his, nunc istis eorum excrementis, ad sui incrementum insident: vel ut muscæ quædam malignæ vulneribus, vel ut lapi, & vultures cadaveribus: non ut apes floribus. Centoculi sunt, & centum aurium, & centum natuum, ut omnia olfactant, audiant, videant. Tanquam ardentes curiositate, & malignitate ducti, simpliores, & minus suspicaces discutiunt, concutiunt, atque excutiunt de se, de aliis, de magnis, de parvulis, tauntum ut prodant, & evertant oblatâ occasione: sic cognita reponunt altâ mente, ut tela bello futuro reservata in panoplia.

III. Audi Detractor, quin & Detractoris Auditor, ut definias detrahere, incipias diligere, hæc pauca, seu monita, seu consilia. Cui detrahis, est tuæ consors naturæ; est frater, quia tibi, & illi idem est Pater, qui est in cælis: est alter tu, quia uterque ad imaginem & similitudinem Dei. Si detrahendo offendis illum, in illo delinquendo offendis Deum; est enim

T 2

Deus

Deus non tantum cum illo , sed in illo. Debes illi non minus , quām tibi : cui, si quid deest , quod tibi superest, tu tibi tertius, ille secundus est. Nepotrō ei desis , vide quāt̄ debeas , quāt̄ possis , quāt̄ prāstes , quāt̄ neges , quibus prodesse possis , quibus obesse soleas , quid necessitati tributas , quid communitati. Paris artis est proximo vivere , & cum proximo. Optimē vivit proximo , qui sibi perfectē moritur : seque rectē utitur , qui sui usūram proximo commodat , non eam commodat , qui ejus famam maculat. Si soli tibi vivis , & illi mortuus es ; neutri vives. Non illi vivis , dum lacerata ejus fama , privas eum civili vita ; sed & tu , cui detractum est , noli detrahenti tibi retrahere , ut juves , manūm. Redde illi bonum pro malo , ne duo mali sitis. Propone illius mali malignitatem , depinge fæditatem , ostende pericula ,ominare perniciem ; sed & media evadendi suggere , precibus succurre , exemplo præi. Compatere , non indignare , illud potes , hoc non debes , aut culpæ , non personæ indignare. Si te tangit , non jubeo , ut non sentias , sed feras , quod si recusas , malum alienum tuum facis , & ex uno duplex. Abstine , quo posset ille offendī , sustine , quo tulædi. Cor gere erga illum benevolum , manum beneficam , linguam amicam , faciem benignam : absensis famam , præsentis vitam conserva. Verbo : tu illius vice , tua illum substi-
tue:

Hoc facito , vives proximo , tibi , Deo.